

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

Savanter Diöcese.

Inhalt: I. Literae encycliche Leonis P. P. XIII. ad omnes Italiae Episcopos super s. praedicatione. — II. Instructio s. Congregationis Episc. et Reg. ad regni Hungarici Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios. — III. Statthalterei-Erlaß vom 13. November 1896 B. 33.402, betreffend die Trauung pensionierter Officiere. — IV. Bestellung einer Censur-Commission für kirchliche Kunst. — V. Diözesan-Nachrichten.

I.

Ex S. Congregatione Episcorum et Regularium.

Literae encycliche Leonis Papae XIII. iussu super sacra praedicatione, ad omnes Italiae Episcopos, atque ad omnes ordinum coetuumque religiosorum Praesules datae.

Sanetissimus Pater Leo Papa XIII. cui apostolicum sacrae praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote christiano populo, his praeceps temporibus recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annuntiandis e suggestu fidei mysteriis multa peccari; complures scilicet, aliquot abhinc annis, eosque gravissimos irrepsisse abusus in modum, quibus saepenumero sacra hodie praedicatio spretu digna, aut saltem sterilis ac prorsus inutilis efficitur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens,¹ hanc S. Congregationem Episcorum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos, Praesulesque religiosorum ordinum sese convertere; eoruinque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut quoad per ipsos fieri potest huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removendum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec S. Congregatio Rmis Episcopis ac regularium ordinum, coetuumque ecclesiasticorum Praesulibus hasce regulas omni diligentia studioque observandas exhibet:

1. Primum quidem quod ad saeri oratoris *personam* attinet, caveant huiusmodi adeo sanctum ministerium ulli concredere, qui nec sincera christiana pietate praeditus, nec servido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit; sine quo aliud profecto non esset orator, nisi *aut aës sonans, aut cymbalum tinniens*,² nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui solus et ratio impellens, et finis ultimus evangeliae praedicationis sit oportet.

Haec vero christiana pietas, sacris verbis Dei praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet; nec quid quam iidem praeferre vulgare aut mundanum; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*;³ secus enim, ut S. Thomas Aquinas animadvertisit, *si doctrina est bona, et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei*.⁴

Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est; quum apprime compertum sit, atque assidua experientia comprobatum, praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praeceps vero sacris, instructi non sint, frustra expectari; eosque eidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, qui nihilum (aut parum admodum) se praeparent, pulpum ascendere.

¹ Inter alios Clemens X., Innocentius II., Innocentius XII., Benedictus XIII. tum actis pontificis, tum ope S. Congregationis Concilii aut S. Congregationis Episcorum et Regularium, pro diversis temporum circumstantiis, sapientia praescripta super s. praedicatione ediderunt. — ² I. Cor. 13, 1. — ³ Ib. 4, 1. — ⁴ Comment. in Matth. 5.

Hi nimurum nil aliud conficiunt, quam aërem verberant, divinoque verbo contemptum irrisio-
nemque, quin id fortasse advertant, misere conquerunt; quibus idcirco iure merito convenit minax illud
divinum effatum: *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*¹

2. Postquam igitur sacerdos (non vero ante) quas recensuimus dotes sibi comparaverit, tum
solum Rmi Episcopi et regularium ordinum Praesules magnum divini verbi praedicandi ministerium eidem
concedere poterunt; sed tamen continenter advigilantes, ut iis dicendis *rebus* inhaerent orator, quae
sacrae praedicationi proprie convenient. Hae quidem res (quae materia propria sunt sacrae praedicationis)
his divini Redemptoris verbis continentur: *Praedicate Evangelium . . . Docentes eos servare omnia, quae-
cumque mandari vobis.*² Quae verba enarrans Angelicus Doctor scribit: „Praedicatores debent illuminare
in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, homini-
bus salutaria praedicare.“³ Et S. Tridentinum Concilium: „Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare
et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant.“⁴
Sed multo amplius summus Pontifex Pius IX. id declaravit haec scribens: „Non semetipsos, sed Christum
crucifixum praedicantes, sanctissima Religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae
et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuntient; peculiaria
singulorum officia accurate explicent; omnesque a flagitiis deterrent, ad pietatem inflammant, quo Fideles
Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere
et coelestem gloriam consequi valeant.“⁵ Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum,
Ecclesiae praecepta, Sacraenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro conditionis cuiusque varie-
tate, hominis novissima, aliasque id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis ma-
teriam constituere.

3. Atqui haec gravissima argumenta a multis divini verbi praeconibus indignum in modum
negliguntur: qui quidem quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, ac probe noscentes, hasce
materias ad popularem auram, quam expetunt, sibi conciliandam magis prae aliis idoneas nequaquam
esse, eas omnes, praesertim in concessionibus quadragesimalibus, et quibusdam aliis celebrioribus anni
solemnitatibus, consulto praetereunt, unaque cum rebus earum nomina permutantes, antiquis concessionibus
novum aliquod genus praedicationis sufficiunt, quas morales collationes, falso sensu acceptas, vocant;
quibus mens auditorum, vel potius phantasia, otiose permulceatur, non vero voluntas salubriter permo-
veatur, pravique reformatur mores. Hi nimurum non advertunt, conciones quidem morales omnibus,
polemicas vero collationes plerumque paucis prodesse; atque hos ipsos paucos, si acuratius fuerint bonis
moribus instructi, seu si diligenter adiuti, quo maiori castitate, animi demissione, atque obedientia erga
Ecclesiae auctoritatem praediti sint, id unum sufficeret, ut mentem innumeris contra Fidem erroribus
immunem, et ad veritatis lucem suscipiendam paratiorem haberent, errores enim circa Religionem, prae-
sertim inter catholicos populos, magis ab effraenatis animi cupiditatibus, quam a quibusvis mentis aberrationibus
plerumque originem ducunt; iuxta quod scriptum est: *De corde exire cogitationes malae . . . blasphemiae . . .*⁶ et in Psalmo:⁷ *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. In corde suo, inquit regius Psaltes* (sapienter hic adnotat S. Augustinus), *non vero in mente sua.*⁸

4. Nec vero ideo *collationum polemicarum* usum damnandum existimamus, quae si recte
perficiantur, et ipsae admodum utiles, imo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque
sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt,
quae de theoreticis potius rebus quam practicis, pertractant; de civilibus potius, quam religiosis; maioris
videlicet speciei, quam fructus; quae proinde ephemeredum palaestris, aulisque academicis apta forte-
erunt; at vero a loco sancto prorsus absona.

Quod vero ad illas polemicas collationes attinet, quae Religionis ab adversariorum impugna-
tionibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt,
sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui oratores magnâ debent prudentiâ uti; huiusmodi

¹ Os. 4, 6. — ² Matth. 28, 20. — ³ L. c. — ⁴ Sess. V. c. 2. de Ref. — ⁵ Lit. encycl. 9. Nov. 1846. —

⁶ Matth. 15, 19. — ⁷ 13, 1.

enim *apologiae* in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus facienda sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit; cuius rei iudicis maxime omnium competentes, locorum quorumlibet Episcopos esse manifeste patet. Has vero apologeticas eâ debeat ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur; tali demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum evitetur, ne in quorundam auditorum mentibus altius defixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, magis que percellant animos obiecta, quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior, quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae, ac proinde praedicatorum et auditorum vulgo relinquendae; dum contra omnino constat, moralem praedicationem fidelium universitati longe maxime necessariam esse, nec nobilitate a polemica vinci; ac proinde etiam valentiores et celebriores oratores in auditorum conspectu quantumlibet electissimo ac frequentissimo hanc deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat, frequentes isti auditores semper de erroribus disserere audient, qui saepe numero in iis, qui intersunt, nequaquam reperiuntur; nunquam vero de culpis vitiisque, quae in hisce potius auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent.

5. At vero si plerique in thematum tractandorum selectione abusus deflentur, plerique alii et quidem haud minus graves, sunt in ipsa *thematum tractatione* deplorandi. Circa quam haec praeclara documenta tradit idem S. Doctor Aquinas:¹ „Ut vere sit lux mundi, tria debet habere praedicatori verbi divini: primum est *stabilitas*, ut non deviet a veritate; secundum est *claritas*, ut non doceat cum obscuritate; tertium est *utilitas* (seu recta intentio), ut quaerat Dei laudem, et non suam.² Sed heu! triste infortunium! Plerarumque hodie concionum forma non solum ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abest, quam illa constanter praeseferret; sed etiam obscuris ambagibus tota obvolvitur, et in abstrusis argumentis, communem populi captum excentibus, versatur, ut illud propheticum effatum in mentem subeat hic opportune repetendum: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis.*³

Quod autem peius est, ille divinus character concionibus abest, ille christiana pietatis habitus, illa S. Spiritus unctio, per quam praeceps evangelicus semper de se ipso profiteri et possit, et debeat: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*⁴ Hi contra persuasilibus humanae sapientiae verbis ferme unice innixi, verbum Dei parvi aut nihil pendunt, sacram videlicet scripturam, quae quidem praecepimus sacrae eloquentiae fons sit oportet, quemadmodum summus Pontifex super Cathedram Petri sedens, nuper gravissimis verbis, quae hue referre opportunum putamus, edocebat: „Haec propria et singularis Sacrarum Scripturarum virtus a divino afflato Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam vietricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu Sancto, et in plenitudine multa.”⁵ Quapropter ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de Religione habent, et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant, nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis, quam divinis innixi. Istrom scilicet orationem quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Virus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio acripi, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus.*⁶ Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem, magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit, diserteque arguit,⁷ atque res ipsa confirmat, et praestantissimorum in oratoribus sacris testimonium, qui nomen suum assidue SS. Bibliorum consuetudini, piaeque meditationi se praecepue debere, Deo grati affirmarunt.⁸

6. En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, sacra Biblia. Sed isti Evangelii praecones dicti, temporum nostrorum ideis ac moribus imbuti, neglecto per summum nefas fonte aquae *vivae* ex

¹ L. c. — ² Thren. 4, 4. — ³ I. Cor. 2, 4. — ⁴ I. Thess. 1, 5. — ⁵ Hebr. 4, 12. — ⁶ De doctr. Chr. IV, 6, 7. — ⁷ Lit. encycl. de studiis S. Script. 18. Nov. 1893.

humanae sapientiae *cisternis dissipatis* suam eloquentiam hauriunt, potius quam divinitus inspiratas sacrorum librorum sententias afferant, aut sanctorum Patrum aut Conciliorum auctores quamplurimos, eosque profanos, novissimos, atque etiam viventes testes addueunt; quorum sententiae affatim ambiguas interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas, saepe saepius admittunt. „Est etiam pessimus sacrae eloquentiae abusus, religiosa themata unice ob praesentis vitae rationes, quin de futura vel mentio fiat, passim pertractare, commoda recensere a christiana Religione mundo allata, et officia dissimulare, divinum Redemptorem uti egregium τριάνθρωπον pingere, et eius, ut iudicis aeterni, iustitiam praeterire.

Exiguus exinde huiusmodi praedicationis fructus, ex qua forte mundanus quisque homo persuasus exit, se, quin mores corrigat, dummodo in Christum credat, probum christianum fore.¹

Sed quid istorum hic fructus refert? Hic profecto non est id, quod ipsi in primis expetunt; auditoribus blandiri, exoptant, quibus *pruriunt aures*;² et dummodo templo stipata videant, eorum parvi interest animas fructu vacuas permanere. Proinde numquam de peccato disserunt, numquam de hominum novissimis, numquam denique de aliis veritatibus gravissimis, quae auditores salubriter *contristare ad poenitentiam* possent;³ sed solummodo *placentia* loquuntur;⁴ atque hoc idem faciunt eloquentia quadam potius tribunitia quam apostolicā; magis profana quam sacrā, quae complures manus plaususque ipsis comparat, a S. Hieronymo graviter reprobatos, cum ad Nepotianum seriberet: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; auditorum lacrymae laudes tuae sint.* Ex quo fit, ut eorum praedicatio, ita in templo, sicut alibi, theatrali quadam aurā circumfusa appareat, quae eam omni sacro charaktere expoliat, omnique spirituali efficacia destituit. Exinde item in populo, imo etiam in plerisque e Clero, adeo depravatus gustus divini verbi, et exsur datum palatum; exinde tandem piorum scandalum, perversorum atque incredulorum nulla aut parva emendatio, qui quamvis interdum in templo, huiusmodi *placentia* verba audiendi causa, praesertim vero si sonoris illis ac magnificis nominibus *civili progressu, patria, recenti nostrorum temporum scientia*, aliisque id genus, allecti fuerint, profuse confluant, postquam oratorem fragosis plausibus fuerint prosequuti, oh! iste, aientes verum ac legitimū concionandi callet modum! e templo exeunt quales illuc intraverant, sicut Iudei, qui *omnes quidem mirabantur, sed non omnes convertebantur.*⁵

7. Haec igitur S. Congregatio quum, supremis Romani Pontificis praeceptis obtemperans, tot tamque gravibus sacrae praedicationis corruptelis consuetudine inductis remedium afferre omnino velit, omnes Rmos Italiae Episcopos, generales coenobitarum Praesules, atque omnes ecclesiasticorum coetuum Rectores compellat, ut in easdem apostolica animi fortitudine insurgant, atque iisdem penitus extirpandis sedulō dent operam.

Itaque memores, se iuxta sacrosancti Concilii Tridentini prae scriptum⁶ *viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere ad strictos esse*, hac in re quam maximam diligentiam curamque adhibeant. Si quidem sacerdotes designandi ad suam ipsorum dioecesis pertineant, iis adeo augustum ministerium, *nisi prius*, sive per examen, sive alio quolibet opportuno modo, *de rita, de scientia, de moribus comprobati fuerint*,⁷ nequaquam concedant. Si vero illi ad aliam dioecesim spectent, neutiquam Episcopi in sua concionaturos admittant, praesertim vero occurribus quibusdam solemnioribus anni solemnitatibus, nisi proprii Episcopi seu Praesulis literas ostendat, quae et sacerdotem bonis moribus praeeditum, et huic officio idoneum esse testentur.

Generales item cuiusvis religiosi Ordinis, Societatis, Congregationis Praesules nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, inscio loci Episcopo, permittant; eoque minus decet, traditis testimonialibus literis illos quoquo mittere, ut Episcopis se sistant, nisi prius accurate inquisierint, et certissime optimam noverint sacerdotum eorumdem et moralem vivendi, et consuetam concionandi rationem..

Si vero cuiuslibet dioecesis Episcopus, postquam aliquem sacerdotem, literis huiusmodi a suis commendatum ad Dei verbum praedicandum in propria dioecesi exceperit, eumque deinceps in sacro ministerio peragendo ab normis monitisque hic per nos traditis aberrantem conspexerit, opportune primum eundem admoneat, ut si fieri possit, quam primum resipiscat; quod nisi sufficiat, ab officio illico removeat, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis.

¹ Card. Bausa, archiep. Florent. ad iun. cler. suum, 1892. — ² II. Tim. 4, 3. — ³ II. Cor. 7, 9. — ⁴ Is. 30, 10. — ⁵ S. August. in Matth. 19, 15. — ⁶ Sess. V. cap. 2. de Ref. — ⁷ C. T. l. c.

Ceterum quoniam haec S. Congregatio Rmorum Episcoporum, et Praesulum religiosis quibusvis Ordinis praepositorum, diligentiae ac zelo se tuto fidere posse probe novit, idcirco per ipsos praecipue fore confidit ut haec nova reeensque Dei verbum annunciandi, seu potius adulterandi, ratio quam primum reformatam se prodat, et saera ipsa praedicatio, vanis verborum lenociniis amotis, augusto ac nativo suo splendori, supernaturali simul efficacia denuo suscepta, in Dei laudem, aeternam animarum salutem, ac spiritualem Ecclesiae totiusque christiani Orbis utilitatem, tandem aliquando restituatur.

Romae, ex Seribarum Curia Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis expediendisque praepositae, die XXXI. Iulii, anno MDCCXCIV.

Isidorus Card. Verga, Praef.

II.

S. Congregationis Episcoporum et Regularium Instructio ad regni Hungarici Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios.

Quibus Hungaria agitatur temporibus catholicae religioni libertatique ecclesiasticae, adversis, illud accedit sane iueundum, quod multi ex clericorum ordine non *quae sua sunt*, sed *quae Iesu Christi, quaerentes*, pro Dei Ecclesiaeque causa et pro fidelis populi utilitatibus, sedulam operam impendant, strenueque hue usque se gesserint. Hoc etenim felix est meliorum rerum auspiciu[m], iuxta egregium illud S. Cypriani p[re]aconium: „*Sacerdos Dei evangelium tenens et Christi p[re]cepta custodiens occidi potest, non potest rinci.*“ (*Epist. 1. ad Cornel.*) At vero deplorandum est, non paucos quidem et detrectare laborem et reformidare pugnam. Cuius rei inquirentibus causas, ea potissimum apparet, huiusmodi clericos a spiritu, quem per manuum impositionem acceperant, descivisse, atque ea *quae mundi sunt* misere consecstantes, defecisse omnino a genere virorum illorum, per quos salus in Israel efficiatur oportet.

Nemo igitur non videt quantum intersit ecclesiasticam disciplinam in regno hungarico relevari et confirmari, idque omni studio animorumque contentione et concordia perfici, ut clerici digni reddantur ministri Christi ac fideles dispensatores mysteriorum Dei, qui populum optimis virtutibus ornatum in viam veritatis et sanetitatis verbo et exemplo dirigant, eique in tantis communis patriae angustiis ad p[re]aelienda p[re]elia Domini per arma iustitiae p[re]aceant.

Quare ex Apostolica auctoritate ac nomine augusto SSmi D. N. LEONIS divina providentia Papae XIII, Sacra haec Congregatio negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita ea, quae sequuntur, ad Cleri disciplinam praecipue spectantia statuit atque decernit: pro certoque habet fore ut sacri Antistites et Ordinarii omnes regni hungarici, quorum *vigilantiam diligentiamque* pastoralem summus idem Pontifex in recenti ad ipsos epistola encyclica commendavit, novum hoc testimonium sollicitudinis caritatisque Eius animo gratissimo accipient.

I. Singularem Episcopi curam eo intendant ut Clerum efficaciter revocent opportunisque remediis inducant ad plenam earum rerum observantiam, quas sacri canones et ecclesiasticae leges praescribunt quoad vitam et mores clericorum.

II. Quoniam vero huius vitae morumque fundamenta in dioecesanis Seminariis iaciuntur, Ordinarii nullum sedulitatis modum omittant, quo alumni in sortem Domini vocati optime instruantur sancteque educeantur. Persuasum habeant, nihil in administratione episcopali esse, quod curam suam sollicitam et operosam aequa postulet, quam Seminarium, in quo totam spem salutis et profectus animarum, de quibus summo pastori Christo rationem reddituri sunt, positam esse constat. Itaque ad officium rectoris in primis virum eligant doctum, prudentem, Christi spiritu plenum, qui tum sermone tum opere adolescentes clericos probe recteque, sicut oportet, instituat et dirigat. Praefectum etiam pietatis constituant sacerdotem aetate maturum, gravem experientia et usu vitae spiritualis eximium, gloriaeque divinae studiosum, qui non solum confessiones alumnorum audiat, sed eos etiam in exercitiis vitae clericalis oratione, meditatione aliisque quasi manuducere, et ad virtutes sacerdotiales comparandas vehementer incitare valeat. Neque alios magistros disciplinarum in Seminariis adhibeant, nisi qui alumnos, quum solida doctrina imbuere, tum vitae simul integritate et probitate exemplo suo informare

possint. Cordi etiam sit episcopis, ut ipsi aliquoties per annum Seminarium visitent, in eoque visitationis munere tum de magistrorum diligentia, tum de progressu, quem in disciplina et studiis clericis fecerint, accurate inquirant (*Concil. prov. Mediol. sub S. Carolo Borr. I. tit. II. decr. 25*), paternaque cum caritate alumnos alloquantur et cohortentur. Seminarii moderatores operam dent ut alumni, sin minus octavo quoque die, qui mos in plerisque Seminariis laudabiliter observatur, certe frequenter ad sacramentum poenitentiae frequentiusque ad divinam eucharistiam rite accedant. Universim, eo admittantur ut adolescentes sibi commissi non externa tantum disciplina contineantur, vel quasdam tantummodo habilitates clericali statui proprias acquirant, sed id totis viribus agant ut ad pietatem veram studiumque gloriae divinae et salutis animarum accendantur, ut spiritum abnegationis vocationi ecclesiasticae suapte natura congruentem pectore concipient et in solidis virtutibus quotidie magis adolescent. Quibus de rebus ea quoque valeant quae habentur in pontificiis litteris *Quod multum diuque*, ad Episcopos Hungariae datis die XXII. Augusti anno MDCCCLXXXVI.

Episcopi autem memores gravissime Apostoli admonitionis: *Manus cito nemini imposueris, neque communicareris peccatis alienis* (I. Tim. V, 22.) summa cum diligentia explorent num forte sint qui, non vocati a Deo, seipso sive ob quaestum sive ob ambitionem terrenamque quamecumque cupiditatem ad sacerdotium ecclesiasticumque ministerium intrudant, *quo quidem hominum „genere mercenariorum nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae Dei calamitosius esse potest“*. (Catech. rom. de sacr. ord. c. VII. 3).

III. Sacerdotes quanta fieri possit maiore frequentia ad poenitentiae sacramentum accedant. Quotannis item per aliquot dies spiritualibus Exercitiis vacent: quo adiumento, si rite adhibeat, nullum fortasse est aliud utilius ad spiritum in Clero resuscitandum et roborandum. Id autem quo melius exequi possint, Episcopi quolibet anno sacerdotes omnes, et, si videatur, etiam singulos exhortentur, vel vocent in Seminarium aliamve piam domum, ubi per aliquot dies spiritualibus commentationibus animum excolant, et propriae salutis et sanctificationis grande negotium agant. Opportune etiam Sacerdotes moneantur de gravi obligatione horas canonicas recitandi, studiisque maxime sacris impigre vacandi, ut officiis propriae vocationis digne utiliterque satisfacere possint.

IV. Sed imprimis Episcopi sedulo invigilent ut parochi eorumque adiutores obligationes proprii munieris fideliter expleant, cum plane certissimum sit sanguinem ovium suarum e manibus eorum a Iudice supremo repetitum iri. Et „*cum praecetto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere*“ (Conc. Trid. sess. XXIII, c. 1, de reform.). propterea Episcopi opportune importune, ut monet Apostolus, instant ut viri ecclesiastici in cura animarum occupati, nulla in re negligentes et desidiosi inveniantur. Instant in sacra visitatione aliave quavis capta opportunitate, ut curiones nequaquam intermittent propriis ovibus adesse sive sacramentales confessiones excipiendo, sive infirmos visitando, sive moribundis assistendo, sive catechesim impertiendo, sive evangelium ad captum populi explicando, sive denique fidelium pietatem allientio canonica piarum Societatum ac Sodalitiorum institutione vel sacrarum festivitatibus celebratione, omnibusque operibus, quae religiosa proprii munieris solertia suggerit. Et quoniam nonnullis in locis parochi eorumque in cura animarum adiutores, ad fidelium confessiones audiendas praesto esse non soleant, nisi vocati, adeo ut, quod sane admodum dolendum est, plerique parochianorum vix unquam extra tempus paschale ad sacramenta accedant, Episcopi ex auctoritate agant ut parochi, maxime in maioribus sollemnitatibus licet non rogati, in confessionali se sistant paratosque se exhibeant, immo fideles frequenter exhortentur ut tam eximia salutis subsidia ne negligant et rite percipiant. Assidui quoque sint curiones in verbo Dei praedicando. Et eum, ut ait Chrysostomus, „*exemplo qui non praedicat, doctor miserabilis sit*“ sollicite curent Episcopi ut mores Sacerdotum plebi fidi offendiculo minime sint. Frustra enim a populo vitae christianaee integritas quaeritur, si in eius pastoribus sancti mores non resplendeant. Quare fortiter constanterque, quum opus fuerit, Ordinarii exequantur quae a sacris canonicis et maxime a Concilio Tridentino (sess. XXV, c. 14, de reform.) circa clericorum incontinentiam, emendationem et punitionem praescribuntur, „*ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo*

vindice, poenas persolvant“.(Sess. XXII. c. 1, de reform.) *Nullum enim, teste Gregorio M., ab aliis maius praeiudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccant, qui compescere aliorum peccata deberent; nulla animarum lucra querunt, ad sua quotidie studia vacant, terrena concupiscunt, humanam gloriam intenta mente captant.*“

V. Curent pariter Ordinarii ut homines, quos cultioris ingenii vulgus existimat, quibus alioquin nulla ut plurimum est Religionis cura nullaque eius vera cognitio, aut concionum ope, aut diariorum, quae elegantia sermonis et rerum gravitate commendentur, dogmata fidei ac praesertim divinam Ecclesiae constitutionem per Clerum edoceantur. Quod ut obtineatur, admodum expediet si catholicae consociationes iam pluribus in locis utiliter institutae latius propagentur.

VI. Peculiari itidem modo curent, ut doctrinae christianaee in gymnasiis praeceptores, quorum officium sane gravissimum et perquam utile est, elegantur sacerdotes non minus doctrina quam vitae integritate conspicui qui demandatum sibi munus diligenter exequantur, et praeterea adolescentibus auctores sint, ut piis Congregationibus B. M. Virginis, vel sodalitatibus SSmi Cordis Iesu vel sacratissimi Rosarii nomen dent, et sacramenta poenitentiae et Eucharistiae saepius devoteque suscipiant. Agant quoque opportune Episcopi ut instructioni religiosae plus quam hucusque concessum est temporis tribuatur, prout res ipsa gravioris per se momenti ac verae necessitatis praeceteris omnibus expostulat. Dent similiter operam ut in omnibus gymnasiiis eadem lingua utentibus unus idemque liber ad religionem docendam adhibeatur. Cuius rei gratia Episcopis curae sit ut compendium huiusmodi, in manus discipulorum tradendum, a viro idoneo componatur, et ab ipsis examinatum et approbatum, in usum scholarum praescribatur. Evigilandum quoque ut etiam profanarum disciplinarum magistri mentem Ecclesiae in docendo, ut par est, observantes, religionem revereantur, atque magistro religionis non solum non adversentur, sed eum pro ratione muneris sui opportune etiam iuvent. Quod ut efficacius fiat, Episcopi meminerint ius libros scholasticos profanarum etiam disciplinarum designandi sibi vindicare.

VII. Insuper modis omnibus Episcopi aditi ne cessent, ut Universitas studiorum Budapestinensis, a Cardinali Petro Pazmany praeclarissimo viro condita et fere catholicorum institutis sustentata, reddatur catholicis, Episcoporum auctoritate regenda. Iterim vero et donec religioni studiosorum melius provideatur, id saltem obtinere conentur, ut omnibus Dominicis festisque diebus, a sacerdote in primis idoneo ad alumnos academicos sermo habeatur, quo ea in primis catholicae doctrinae capita doce diligenterque explicentur ac demonstrentur, quae in vita publica aequae ac privata hodie maxime negligi solent impugnari. Agant etiam Episcopi, ut in utraque Hungariae universitate, ad exemplum aliarum Academiarum, instituantur, institutique foveantur studiosorum coetus seu societas, eo proposito, tum ut iidem mutuo incitentur exemplo ad recte religioseque vivendum, tum ut in consuetis conventibus recolant ex veritate retractatum si quid acceperint in scholis catholicae veritati contrarium. Praeterea optimum factu erit si in coetibus suis ducta ex variis disciplinis themata certatim enucleent, propositis praemiis allecti.

VIII. Et quia de christiana civitatum constitutione, de civium officiis, de amore patriae, similibusque de rebus praeposterae et exitiosae opinione obtinent inter cultiores praesertim homines, ideo instent Episcopi ac locorum Ordinarii ut per sacros concionatores crebro inculcentur Ecclesiae documenta, quae praincipue Encyclicis Litteris „*Immortale Dei*“ et *Sapientiae christianaee*“, sunt tradita.

IX. Episcopi vehementer hortentur parochos et catechistas fidelium hungarica lingua non utentium, ut debito quidem obsequio satisfaciant civili legi, qua pueri in scholis solerter doceri debent linguam hungaricam; ac doctrinam christianam non antea eis hungarico idiomate tradant, quam pueri eamdem linguam plene didicerint. Hoe aequae puerorum aeterna salus et reipublicae bonum postulat. Similiter parochis et eorum auditioribus praecipient, ut non antea hungarica lingua in concionibus utantur, quam compertum habeant eam a parochianis probe intelligi. Quod si parochiani aliis atque aliis linguis utantur, nec omnes hungaricum idioma sufficienter intelligent, parochi omnem dent operam, ut iis quoque fidelibus verbum Dei in propria lingua convenienter annuntietur.

X. De Sodalitatibus, quae ad scopum culturae popularis promovendae institutae sunt, quum omnibus hominibus quamlibet religionem profitentibus pateant, neque catholicam formam institutionemque

prae se ferant, idecirco iniungant Episcopi parochis ut diligentissime caveant, ne fideles, eas adeuntes sodalitates, sensim sine sensu indifferentismi errore venenoque inficiantur, aut simile huic aeternae salutis detrimentum aliud incurant.

XI. Praestat quammaxime, singulis provinciis suas esse catholicas ephemerides, plures etiam quam quae in aliquibus locis numerantur, et non hungarico tantum sed alio quoque idiomate conscriptas, prout cuiusque mos fert provinciae, et ad captum intelligentiae populi accommodatas.

XII. Hisce itaque in profectum ecclesiasticae disciplinae et in bonum fidelium praestitutis, multum sane efficacitatis ad optatum exitum accedet ex ipsa Ordinariorum sollertia. Qui quidem in omnibus seipso exemplum praebentes bonorum operum, in doctrina, in integritate et gravitate, (*Ad Tit. II. 7*), omni certe pastorali sollicitudine hanc ordinationem debitae executioni mandabunt districteque suo quisque Clero praecipient ut eidem morem gerant singulasque eiusdem praecriptiones diligenter adimpleant. Atque in hunc finem Ordinarii in pastoralibus visitationibus, statis temporibus peragendis, rationem specialiter de exacta perfectaque earum omnium observantia a singulis clericis exquirant; et si quos invenient desidiosos extimulent, si quos negligentes redarguent, si quos recalcitrantes castigent. Omni insuper quo praestant zelo diligentissime curent ut ecclesiastica beneficia non modo denegentur indignis, sed dignioribus omnino conferantur: atque ad id facilius obtainendum sese interponere etiam, quoad fieri poterit, ne praetermittant apud eos, qui patronatus aut electionis iure gaudent, eosdem opportune commonentes de pergravi iudicio, quod apud Deum et homines subituri sunt, quoties ecclesiastici redditus, qui instituti sunt pro decenti tuitione operariorum vineam Domini utiliter excolentium, in alium usum ab se convertantur, ac operariis inutilibus aut prorsus indignis pro lubitu ac iniuria tradantur.

Rome die 28. Maii 1896.

A. Trombeta, Pro-Secr.

† I. Card. Verga, Praef.

III.

Erlaß der hochlöblischen k. k. Statthalterei vom 13. November 1896, J. 33.402, betreffend die Trauung der k. u. k. Offiziere des Ruhestandes.

Die hochlöbliche k. k. Statthalterei hat ddo. 13. November 1896 Nr. 33.402, betreffend die Trauung der k. k. Offiziere im Ruhestande seitens der Civil-Seelsorger Nachstehendes anher mitgetheilt:

Mit dem Erlaß vom 10. October I. J. Bl. 23.624 hat das hohe k. k. Ministerium für Cultus und Unterricht über Ersuchen des k. u. k. Reichs-Kriegsministeriums aus Anlaß mehrerer, in letzter Zeit vorgekommener Fälle, in welchen „für Localanstellungen vorgemerkte Offiziere“ des Ruhestandes von Civil-Seelsorgern getraut wurden, ohne daß die vorgeschriebene militärbehördliche Bewilligung hiezu beigebracht worden wäre, aufmerksam gemacht, daß die Trauung eines Offiziers des Ruhestandes erst dann vorgenommen werden darf, wenn sich der Trauende durch Einsichtnahme in das Pensionsdecreet des Bräutigams über die Zulässigkeit der Vornahme des Trauungsactes die volle Überzeugung verschafft hat.

Ist der Bräutigam nach seinem Pensionsdecrete als „invalid“ in den Ruhestand versetzt (Formular I) oder später erst als „invalid“ classifiziert, oder nachträglich aus der Vormerkung für Localanstellungen gelöscht worden (was ebenfalls auf dem Decree ersichtlich sein muß), so bedarf derselbe zur Eheschließung keiner militärbehördlichen Bewilligung.

Dagegen ist eine solche unbedingt erforderlich, wenn die Vornahme des Bräutigams in den Ruhestand „unter Vormerkung für eine Localanstellung“ oder diese Vormerkung erst später erfolgte (Formular II).

Die genaue Einsichtnahme in das Pensionsdecret des zu Trauenden kann sonach den Civilseelsorger jedes Zweifels überheben, ob der Officier des Ruhestandes zur Eheschließung einer militärbehördlichen Bewilligung bedarf oder nicht.“

Hievon wird der Hochwürdige Seelsorge-Clerus mit Beziehung auf das h. ä. kirchl. Verordnungs-Blatt I ddo. 9. Februar 1881 Nr. 376, Absatz VI und die nachstehenden Formularen zur genauen Dar-nachachtung in Kenntnis gesetzt.

Formular I.

Zur Statth. 31. 33,402.

Das f. u. f. Reichs-Kriegs-Ministerium findet die lieber-
naehme Euer geboren auf Grund der stattgehabten Superarbi-
tierung als invalid,

in den Ruhestand zuordnen.

Die Pensionsgebihr im Betrage von jährlich

wird Euer geboren vom 1. 189 unter Einem angewiesen.

Formular II.

Das f. u. f. Reichs-Kriegs-Ministerium findet die lieber-
naehme Euer auf Grund der stattgehabten Super-
arbitrierung in den Ruhestand, unter Bormetung für eine Localanstellung

| 9 |

Die Pensionsgebihr im Betrage von jährlich

wird Euer vom 1. 189 unter Einem angewiesen.

IV.

Bestellung einer Censur-Commission für kirchliche Kunst.

In der heuer abgehaltenen II. Lavanter Diözesan-Synode ist von mehreren Seiten der Wunsch nach Bestellung einer Censur-Commission für kirchliche Kunst ausgesprochen worden, damit sich die hochwürdigen Herren Seelsorger bei Neubauten, Renovierungen, bei Bestellungen von Glocken, Bildern, Statuen, Orgeln, Paramenten, Lüstern, Leuchtern, Kreuzwegen u. s. w. leichter raths erhalten könnten. Dadurch würden empfehlungswerte Bezugssquellen allgemeine Anerkennung erlangen, nicht empfehlungswürdigen Concurrenten aber die Gelegenheit der Irreführung benommen werden.

Das f.-b. Ordinariat kommt hiemit diesem billigen Verlangen bereitwilligst entgegen.

Die geschäftliche Leitung der gewünschten Censur-Commission wird sich in den Händen des hochwürdigen Herrn Domcapitularen Karl Hribovsek, f.-b. Consistorialrathes und Directors des Diözesanpriesterhauses, welcher an der f.-b. theologischen Diözesan-Lehranstalt Lehrvorträge aus der Kunstgeschichte hält, befinden.

Zum Behufe der zweckentsprechenden Vertretung der einzelnen Kunstzweige werden sich an den Commissionsberathungen außer den hochwürdigen Herren Domcapitularen noch folgende Consulentes betheiligen: P. Callistus Heric, Guardian und Pfarradministrator; Herr Jakob Hribernik, Spiritual im f.-b. Priesterhause; Herr Ludwig Hudovernik, Dom- und Stadtpfarrvicar; Herr Martin Matek, Doctor Rom. in iure canonico, Theologie-Professor; Herr Dr. Alois Meško, Theologie-Professor; Herr Dr. Anton Medved, Religionslehrer am f. k. Gymnasium.

„Ideirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in condicibus non valent“ (S. Greg. M. I. 9. epist. 105. ad Serenum Episc. Massilien.).

V.

Diözesan-Nachrichten.

Bestellt wurden: Herr Jakob Palir als providierender Kaplan in Sternstein und Herr Anton Raysl als solcher in Pameč.

Neubesetzt wurden die Herren Kapläne: Mathias Stoklas nach Reisnif; Maximilian Oevirk nach Hohenmauten und Lorenz Schlamberger nach St. Stephan bei Süßenheim.

In den dauernden Ruhestand sind getreten die Herren: Jozef Horvat, Pfarrer in Wisell und Jozef Valenčák, Pfarrer in St. Bartholomei bei Gonobiz.

Gestorben sind die Herren: Jakob Črnec, zeitl. Deficientpriester in Weisenstein, am 26. October im 32., Ignaz Hauptmann, zeitl. Deficientpriester in Maria Wüste, am 3. November im 24. und Herr Vincenz Plaskan, Pfarrer in St. Georgen an der Süd bahn, am 23. November im 54. Lebensjahre.

Unbesetzt ist geblieben der I. Kaplansposten in St. Martin bei Wind. Graz, der II. Kaplansposten in Altenmarkt und der Kaplansposten in Leskovac.

F. B. Lavanter Ordinariat in Marburg,

am 25. November 1896.

† Michael,
Fürstbischof.